



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

97. Sabb. Septem Christi vincula, septem alterationes Matris Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

160 *Sabbato Dom. 3. Quadrag.*

ciri: itaque Christum comprehenderunt: sed ab eo longius recesserunt: ligaverunt à quò potius solvi debuerant. O quales manus fuerunt illorum facinorosorū, quas injecerunt in eum: & quid tum actum fuit cum IESU illâ viâ! Sed verbum DEI non est alligatum, neque manus ejus abbreviata. Da Domine odisse fugam Discipulorum, amare fugam adolescentis, amare vincula tua, vincula salutis, legem, consilia; qui sic vincētus est Domino, adducetur ad Hierusalem cœlestem.

MEDITATIO XCVII.

*Sabbato Dom. 3. Quadrag.*

*Septem Christi vincula, septem alterationes Matris DEI.*

**C**ontemplabor Divam novis doloribus circumcinctam, & ut piscem natantem in mari tribulationum. Petam eas intelligere, ipsique compati.

Vineulum Christi 1. In utero 9. mensibus captivari.

2. Pannis & fascijs stringi.

3. Manibus impiorum colligari.

4. Manibus Iudicum constringi.

5. Ad flagella.

6. Ad clavos.

7. Sindone involvi.

Cum quoties quis peccat, toties liget Christum,

stum, & teneat, rogabo Matrem dolorosam, ut me cohibeat, ne tam odibili vinculo unquam ligem Christum. Eheu! spiritus oris nostri Christus D. captus est in peccatis nostris! in fructus nostrarum dissolutionum, & effectus abusuum libertatis. Dirumpamus nunc; si libet, Dei legem, demus licentiam sensibus, vivamus juxta carnis appetitus: Ego interea, inquit Christus, catenis vinciar. Superbite vos famulatio, & honoribus: Ego derelinquar ab omnibus, & omni contumeliâ replebor. Impendite ipsas noctes in delicijs: Ego tristitiâ, tædio, pavore, & mœrore ad mortem usque infestabor, & tandem nervis, & spinis, clavis & cruce enecabor. O IESU mi! qui te sic afflictum videt, neque vinculis tuis commovetur, satis ostendit, se complicem delicti. Vincula, & viæ tuæ duræ sunt timori, leves a-mori, Aug. l. de nat. & grat. c. 7.

MEDITATIO XCVIII.

Dominica 4. Quadragesimæ,

*Errores Magistratus Ecclesiastici circa Christum.*

Videbo supremum 72. virorum concilium contra Christum præside Lucifero, qui tantis suspicionibus anxius primò usque ad tentandi erupit audaciam, deinde ad tempus secedens, fortior tandem hâc hora suâ pleno  
ago